

## Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 67

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum cautela, qualiter nos interventu et ortatu dilecte contectalis nostre Theophanu coimperatricis auguste pro remedio anime genitoris nostri equivoci et coimperatoris augusti nec non et pro nostra nostrorumque salvatione nostre proprietatis castella quedam et loca in partibus Sclauonie Doblin et Hwoznie nuncupata in pago Dalemencian seu Zlomekia vocato iuxta fluvium Milda dictum et alia quedam in ripa Aeluie fluminis Pretokina, Clotnie et Wozgrinie vocata in pago Nikiki vel Mezumroka dicto in comitatu Thietmari comitis sita ad quendam locum Mimeleuo dictum in honore sancte dei genitricis semperque virginis Marie cum monachis sub monastica institutione et regula degentibus a nobis speciali devotione et sumptu inceptum et constructum, ubi idem iam prefatus genitor noster diem sortitus est ultimum, cum burgwardiis et omnibus utensilibus illuc rite pertinentibus in propium tradidimus, in mancipiis utriusque sexus aedificiis terris cultis et incultis areis vennis silvis venationibus aquis aquarumve decursibus molendinis piscationibus pratis pascuis campis viis et inviis et redditibus quesitis et inquirendis et omnibus utilitalibus, quae adhuc dici aliquo modo aut nominari possunt, ea videlicet ratione, ut abbas cum monachis in predicto loco Mimeleuo deo famulantibus liberam inde teneat potestatem tenendi, commutandi seu ad eorum necessaria prout eis visum fuerit constituendi atque disponendi. Et ut haec traditionis nostre donativa per tempora succedentia a nullo umquam divelli vel inquietari possint, hoc nostrae maiestatis praeceptum inde conscribi manuque propria subtus notatum sigilli insuper nostri inpressione iussimus sigillari. Signum domni Ottonis invictissimi imperatoris augusti. Hildibaldus episcopus et cancellarius advicem Willigisi archicapellani notavi. Data XII. kal. aug. anno dominicae incarnationis DCCCCLXXXI, anno vero regni secundi Ottonis autem XII, imperii autem XIII actum Vualahusun.